



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apodixes, Sive Demonstrationes Tres Horrendarvm Blasphemiarvm Ecclesiae A Calvino Reformatae, Circa tres primos Symboli Catholici Articulos

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphaliae, 1608

Thesis Decimaqvinta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35415

A P O D I X I S I I I .
B L A S P H E M I A R V M C A L -
V I N I S T I C A R V M C I R C A
I I I . A P O S T O L I C I S Y M -
b o l i a r t i c u l u m .

A R T I C V L V S T E R T I V S
C a t h o l i c u s .

*Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus
 ex Maria Virgine.*

T H E S I S D E C I M A Q V I N T A .

Generationem eius quis enarrabit? ait Isaias. ca.
 53. Enarrant eam Calvinista, putantque prophe-
 ta verba (quicquid etiam contradicant Patres vete-
 res) non de Christi generatione: sed regni eius diuina
 propagatione interpretanda, Calu. in Isaiam ca. 53.
 Enarrant autem hac ratione, ut conceptus quidem Fi-
 lius sit, sed tamen videre non possint, quomodo simul
 cum Filio conceptus & incarnatus non sit Pater, cui vna
 cum Filio est essentia. Friccus initio libell. de Me-
 diatore. Deinde ut solus intelligatur conceptus Filius,
 ut tamen de caelesti gloria, quam habuit ab initio. Ioan.
 17. nihil deperdiderit per carnis nostrae assumptionem,
 non satis capit Calu. Præposterum, inquit, in Ioan.
 17. Christi de reddenda claritate votum fore,
 si de sola humanitate intelligatur, non etiam de
 diuinitate. Vnde & à Melanth. cōtra Stancarū, &
 alibi in Ep. ad Elect. Brādeb. 12. Ian. an. 1553. data
 scribi-

scribitur: Filius Dei secundum diuinitatem gloriam sibi dari & restitui orat ac postulat: Deinde ut conceptus nil amiserit de gloria; informis tamen prius massa, & foetus extitit, qui more aliorum infantum in Virginis utero sensim, humanum coalesceret in corpusculum. Quae enim de momentanea foetus conformatione differuntur à Theologis, admirabilem vim potestatemq; Dei omnipotentis operantis in Virgine supra naturam, & ex purissimo eius sanguine Adamo secundo, in momento integrum corpus formantis, pensculantibus; ea Caluini Magistro in cap. 2. Lucae Bucero sunt commenta. Nec verum est quod ait ille, Ioan. 1. Visum eum plenum gratiae & veritatis; aut non ad mensuram datum illi Spiritum, Sed vnà cum aetate creuerunt etiam in Christo animi dotes. Caluinus in cap. 3. Luc. versic. 40. gratuitisque Spiritus Sancti donis auctus est. Quid? quod columbâ super Christum descendente, primum redditus sit certior suae vocationis, & ob id noua Spiritus Sancti vnctione imbutus. In capite 3. Matth. versic. 61. quod vberiore tum Spiritus virtute sit instructus, vt fortior foret ad obeundas pugnas.